

III, 57.

257.



III, si.



6

LACRUMÆ

SUPER

Præmature & luctuoso admodum; Satis tamen Beato ex hac vita
abitu & obitu

SERENISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI,

DN. JOHANNIS,

PRINCIPIS ANHALTINI, CO-
MITIS ASCANIÆ, DYNASTÆ SERVES-

TÆ ET BERNÆBURGI, DOMINI ITEM IN JEVER

Et Kniphausen /

DN. QUONDAM NOSTRI IN VITA

CLEMENTISSIMI,

Profundi cœptæ

IV. ABHINC NONAS QUINTILEIS

ANNI HUIUS

M DC LXVII.

CUM SANCTISSIMAM ANIMAM REDEMPTORI SUO COM-
mendans terrena omnia sperneret, & cœlestia
anhelaret

PRINCEPS PISSIMUS:

continuata post

CALENDIS NOVEMBRIBUS, SEU OMNIUM SAN-
CTORUM DIE PUBLICA PANEGYRI

presentibus

ILLUSTRISSIMIS FILIIS PRINCIPIBUS

Aliisq; HONORATI ORDINIS

VIRIS,

à


JOHANNE Langenstätttern / FRANC.

AD D. BARTHOL. RECTORE.

SERVESTÆ,

Typis JOACHIMI Palmieri /

1668.



ILLUSTRISSIMIS

PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

DN. CAROLO VVILHELMO,
DN. ANTHONIO GUNTHERO,
DN. JOHANNI ADOLPHO,
DN. JOHANNI LUDOVICO,
FRATRIBUS ET PRINCIPIBUS AN-
HALTINIS, COMITIBUS ASCANIÆ, DYNASTIS SER-
VESTÆ ET BERNBURGI, DOMINIS ITEM IN JEVER
& Kniphausen/

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS,

LACRUMAS HASCE PANEGTRICAS
in mortem.


DN. PARENTIS IPSARUM CELSITUDM,
Ut longè Optimi in Vita & Honoratissimi:

Ita
Post fata Desideratissimi, humilima Sympathia fufas,
HUMILIMIS ETIAM, UT PAR EST, VOTIS PRO IPSARUM
Celsitudm. vita, incolumitate, omnimodaq; & Hominibus & Principibus
digna felicitate,

dicat & consecrat

JOHANNES Langenstätter / FRANC.

AD D. BARTHOL. RECTOR.



ILLUSTRISSIMI ATQVE
CELISSIMI
PRINCIPES AC DOMINI,
DOMINI CLEMENTISSIMI:
VOSQ; CÆTERI
VIRI ET AUDITORES MAGNI-
FICI, GENEROSI ET UNDIQVAQVE
HONORATISSIMI.



Ietati, Virtutum Reginae, quæ ex diuturni silentii
sqvalore, in apertum & publicum dicendi cam-
pum me nunc protrahit, & duram admodum,
gravem & molestanti obeundi muneris provin-
ciam imponit, refragarer haud dubiè, ni violati
Ejusdem mandati reum me sifteret iudicio,
domesticus custos & speculator, Conscientia.
Deprecarer, inquam, gravem hanc mihi con-
stitutam adversariam, laboremque refugerem,
ceu impar sustinendo eidem, & ad quem dignè
extollendum, vel ipsa Facundia fiat nauta facilè, omneque insuper os in-
fans ac hebes; Nisi subscriptum decreto jam esset, & non ita pridem SE-
RENISSIMÆ DUCIS, DOMINÆ SOPHIÆ AUGUSTÆ,
PRINCIPIS ANHALTIÆ, VIDUÆ, ILLUSTRISSIMORUM FI-
LIORUM GNATÆQ; PRINCIPUM, VIGILANTISSIMÆ FIDIS-
SIMÆQ; TUTRICIS: Et reliquorum SERENISSIMORUM CON-
TUTORUM NOMINE, ultimum humilitatis ac obedientiæ debitæ ho-
norem, SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
JOHANNI, PRINCIPI nuper-Nostro, cum viveret, (non amplius
eheu! Noster est) in terris CLEMENTISSIMO; Nunc INCOLÆ Cœ-
LI inter triumphantium cœtus BEATISSIMO, imperasset piè ac reve-
renter exsolvendum CURIA æquè ILLUSTRIS. Pietati tandem me-
totum, & AUGUSTÆ IMPERANTIUM MAJESTATI reculas me-
as submissi devotè. Et hoc maximè, quod Ipsæ quoque CALENDÆ
NOVEMBRES, ac iis cum universus OMNIUM SANCTORUM cho-
rus in publicum me prodire, & DIVI ALICUJUS è cœlesti Electorum
societate, non superstitioso quidem papicolarum more, sed ritu verè chri-
stiano, & solemnitate subditorum conditione humili dignissima, propo-
nere memoriam; aut verius luctuosum ex mortalis hujus vitæ caruncula
discessum, felicissimumque ad illud beatarum Mentium Domiciliûm, ser-
mone scholastico, hoc est, humili atque levidensi, enumerare transitum,
jusserunt. Enimverò si congruum nostro officio apprimè est, quos cultu
ac studio nostro dignos habemus, prosequi natales eorum certo honoris

genere: quòd ab ortu pendeat maximè, quicquid utilitatis illi in nos aut
 alios contulerint; Cur indecorum sit, celebrare obitus perindè, cum eo-
 rum quoque excessus consummet quasi omne id, quo vitam antè insi-
 gnem amabilem vè reddiderint? Hocque magis, quod in colendis super-
 stitum natalibus ambitioni sæpè & adulationi multa dentur, reverentiæ
 veræ pauca: In celebranda autem obitus memoria, incorruptissimum,
 virtutis & meritorum edatur testimonium, & suum cuique demum, qua-
 le meritis in vita est, pretium posteritas rependat. Quotus, quæso, quis-
 que est, qui non cum plausu & jubilo, votis & acclamationibus has ipsas
 Calendas Novembreis exceperit sapièssimè, & in hac Servedana, & Olden-
 burgica illa aula ac Urbe, inde usq; à primo temporis momento, quo
 exclusus ex cœco materni uteri carcere Lucem aspexit primum, & orbi
 datus est, veneranda majorum antiquitate inclytissimus: avita patriæ glo-
 ria, augusta patris memoria Celsissimus: Honoranda consanguinitate
 celebratissimus: Majestate, Vultus Dignitate, autoritate omnium Virtu-
 tum jubare verè Illustrissimus quondam DN. ANTHONIUS GUN-
 THERUS, Comes in Oldenburg & Delmenhorst, Dominus in Jhever
 & Kniphausen, nunc inter cœlites & beatos ævum agens. Qui si viveret
 adhuc, quot hominum myriades, maximos, minimos, medios, in lætiti-
 am, & ut sic dicam, congaudium sui rapturus hoc SUO NATALI esset,
 quem hodiè ageret, exacto & completo scilicet Octogesimo Quarto anno,
 Quintum & octogesimum. Sed fatis subscribere etiam, & communem
 mortalium sortem ac conditionem subire tandem oportuit omni laude
 ac lingua majorem COMITEM GENEROSISSIMUM. Cujus tamen
 MEMORIA unà cum IPSo non interiit; (Si interiisse est dicendus, qui
 maxima & optima sui parte vivit, & immortalitatis fruitur deliciis) sed uti
 sonare & prædicari hesternæ luce concione memoriali apud nos cœpit:
 Ita HÆC similesque laudes, ceu absolutæ Virtuti competentia præmia
 manebunt perpetuò, seramque ad posteritatem transmittentur. Dignum
 enim est, ut, qui non SUI modò SIMILES, virtutibus, variisque dono-
 rum bonorumque insignibus; sed MAJORES multò ac POTENTIO-
 RES, imò EMINENTISSIMAS totius Imperii (& fortassè omnium
 mundi regnorum) COLUMNAS Ipsa quoque ætate, & annorum nume-
 ro præcesit longè diuturnam, nullisque seculis finiendam reportet me-
 moriam. Utque in vita pietatis, Virtutis, Pacis, Quietis, Libertatis, stre-
 nuus assertor: Justitiæ justus præses: Boni Principis idea fuit: Ita & hujus
 suæ Pietatis, Virtutis, Pacis, Quietis, Libertatis, Justitiæ, largissimos fructus
 ferat. Accedit aliud, idque immensum & ineffabile opus in Christiano
 orbe, quod non minus MEMORIAM PRIMI NOVEMBRIS
 suggerit, & clausa linguarum repagula solvere nos jubet. Sesqui seculum
 labitur hodiè, quo impudentissimus sycophanta, & nugacissimus indul-
 gentiarum Nundinator T E C E L I U S, nundinis & mercibus suis impro-
 bis, à negociatore & nugivendolo, væjove isto Tarpæjo, in Germaniæ me-
 ditullium, ceu ad mercatum quendam missus, ejectus feliciter & pudore
 suffusus est à Reverendo patre Luthero, magno illo Religionis restaurato-
 re, affixis, contra blasphema superstitionis Romanæ dogmata, primis
 Conclusionibus pridie Nonarum Novembrium, seu in Vigilia hujus om-
 nium sanctorum diei, publicis templi Cathedralis, quod Witerbergæ
 est, foribus: Sub secuta eadem nocte, qua Saxonæ Elector, mirificum,
 planeque divinum, & ter repetitum de Reformationis negotio vidit so-
 mnium.

mnium. Qua sanè impostura Tecelli, & quo fallaci Institoris facinore
 LUTHERUS, quasi Zelo Eliæ motus, & exemplo Mesia provocatus,
 non minori pietate, quàm fortitudine templum Domini ingressus, ven-
 dentes & ementes, negociatoresque meretricis Babylonicæ, flagro Verbi
 DEI, eiecit, eoque heroico facto religioni, quæ corrupta erat, puritatem:
 Conscientiis, quæ pressæ erant, libertatem: animabus, quæ seductæ erant,
 veritatem: Toti Ecclesiæ, quæ obscurata erat, claritatem & nitorem resti-
 tuit. Atque hanc religionis corruptæ restitutam puritatem, hanc con-
 scientiarum pressarum acquisitam libertatem, hanc animarum seductarum
 obtentam veritatem, hanc denique obscuratæ Ecclesiæ illuminatam
 claritatem, ut SERENISSIMUS NOSTER, piissimæ recordatio-
 nis, JOHANNES Princeps in PROAVO JOHANNES est ample-
 xus: in PROAVI PATRUELE WOLFFGANGO est confessus: in
 PROAVI FRATRE GEORGIO est professus: In AVO denique
 JOACHIMO ERNESTO est edoctus: Ita in grati pectoris signi-
 ficationem pro tanta beneficiorum DEI multitudine: In amicæ recor-
 dationis tesseram, pro tam egregio item ac evidenti Munificentia præ-
 stitæ specimine ab AVUNCULO, DN. ANTHONIO GUNTHERO,
 Comite, nunquam laudando satis, Oldenburgico, memor Calendarum
 Novembrium iterum esse voluit laudatissimus Princeps. Cum enim
 præterlapso proximè biennio abhinc salutaret per literas, & per
 quem functionem curaverat isto tempore expediendam, DN. AVUN-
 CULUM SUUM: Hic venerandus & Octogenarius Senex, sua mo-
 tus pietate, & humaniori fortasse invitatus conversatione monentis pro-
 movenda pietatis & artium studia, largissimam & liberalissimam ma-
 num, sponte sua, gazis & thesauris admovet, arrepta indè Joachimico-
 rum chiliade, quos in usuris collocari iisdemque pauperiorum studia ju-
 vari annuis stipendiis voluit. Similis hoc facto Soli, liberalissimus He-
 ros, existens, qui calefacta sub uno horizonte & illuminata terra, sub ali-
 um migrat: Haud aliter & ILLE nostrum hunc suis illustrare clemen-
 tiæ radiis horizontem voluit, flaccidasque argentium & egentium alu-
 mnulorū bulgas calefacere, vacuos item bonarum artium ac partium lo-
 culos adimplere. O firmissimæ opes, quæ ita fœnori dantur! ô felices
 & liberales quæstus, qui ita occipiuntur! ô beatæ usuræ, quæ ita in DEI
 honorem vergunt! singulos numos, qui hoc pacto locantur, singula be-
 nedictionum semina putes, quibus vel gementia frugum plaustra hor-
 reis cedunt: singulos thaleros singulos gradus dicas, quibus ad veram itur
 felicitatem. Quid ad hanc Munificentiam PISSIMUS PRINCEPS
 NOSTER? Quid pro illa? Audite literas, quas foundationis vocant,
 VOLUMUS, habebant verba DULCISSIMI NOSTRI: INITIUM “
 HANC FUNDATIONEM capere suum primo Novembri, eodem “
 quoque die, qui charissimi nostri Avunculi, Patris & Compatri, ut- “
 potè Domini Donatoris, Natalis audit, in perpetuam IPSIUS me- “
 moriam, sempiternamque Nominis gloriam percipi horum stipendio- “
 rum salutare fructus, solutione numerata HOC DIE semper futu- “
 ros, debere volumus. Ita scilicet tanti habuit SANCTISSIMA
 ANIMA hunc sanctorum omnium diem, ut propter tot beneficiorum
 divinitus concessorum memoriam, Ipsam quoq; NOMINIS ILLU-
 STRIS MEMORIAM Generosissimi Comitis, Dn. Avunculi sui vel
 hoc uno nomine voluerit sanctam & inviolatam. Quocirca piaculum

foret, si nos, tanquam obliviosi officiorum nostrorum debitores, hunc diem & IPSI, Clementissimi quondam Principis Nostri, BEATISSIMÆ RECORDATIONI non sacro sanctum esse juberemus vicissim: sacrilegium foret, si extremo Obsequii & Humilitatis honore, si sua PRINCEPEM NOSTRUM hoc die memoria defraudare vellemus. Agite, VOS PRINCIPES ILLVSTRISSIMI, ultimo honori VESTRI PARENTIS sanctè mortui assurgite, humiliter peto: Et VOS, VIRI Atq; AUDITORES cæteri, undiquaque honoratissimi, defuncto DOMINO VESTRO honorarium in animis vestris monumentum extruite, nulla temporum violentia destruendum, & in CONQUESTVM PROFUSISSIMVM ob mortem incomparabilis nostri Principis, simulque LAVDES PARCISSIMAS, non ob dicendorum quidem inopiam, sed dicentis tenuitatem mecum descendite, observanter oro. Nimirum restitit tandem hæc Anhaltinæ nostro calamitas, ut luctui mærorique involveretur tota regio, ut atra tristitiæ nubes obvelaret Servestam, ut gemitibus lamentisque personarent omnia, Curia, templa, scholæ: Tunc enim JOHANNEM Nostrium, ah! beatissimum JOHANNEM amissimus, cum egeremus maximè: Tunc CLEMENTIÆ suæ alas subtraxit nobis, cum tegumento illarum fomentoque vel maximè opus esset: Tunc GRATIÆ Ipsius umbræ evanuerunt, cum defendendi ab omnibus injuriarum telis, cum habitandum sub illis, tanquam sub clypeo esset. Tota Respublica in summum deducta infortunium est jactura isthac: Fulgentissimus POLITIÆ splendor obscuratus admodum est, dum nil nisi noctem atque caliginem rebus inductam videas, quæ Serenissimis radiis, à SOLE NOSTRO exeuntibus, illustrabantur antè; jam SOLE & LVMINE suo destituta, in abditis tenebrarum venis, & densissimæ obscuritatis quasi visceribus conclusa latent, insuperque ad eam infirmitatem ac incertitudinem, veluti dementata, sunt adacta, ut, in quo sistant, vix habeant, sed huc modò, mox illuc incertis opinionum fluctibus agitata vagentur. Maximum Ecclesiæ ornamentum defletur quasi sublatum, dum COLUMNA præcipua, & non nisi firmissima, toti quippè ferundæ moli satis apta, subducta repentinè, omni que celerius opinione, violentia mortis diruta, suisque mota sedibus & amota infeliciter est, ut hinc nigello & anthracino conspiciantur amiculo antistites pii, pullati incedant præcones Verbi, demissoque capillo luctum insequatur turba reliqua. Quid aræ focique experiuntur? Quam domesticæ administratio rei felicitatem sibi promittere, in hisce rerum tumultibus, in tanta omnium vicissitudine potest? Illam nempè, quam infelicissimus quisque sibi pollicetur quotidie. Vniversa siquidem societatum cohors, sua deplorans fata, quæ imminere videt, summè improbitatis odium deprecatur à Cælo, aut potius supremo cælorum terrarumque Domino, excusatione summæ stultitiæ, quam in Eundem admisit, à quò malorum sibi impendere Iliadem metuit vicissim. Hinc arctissima conjugii fœdera acerbè deplorant admodum HVNCCE SVVM, à quo disjuncta se vident longissimè, cujus in amplexibus fovebantur clementer, servabantur gratiosè. Illinc DOMINVM lamentatur suum longa herorum servorumque series, qui nulla re alia consternantur magis, animisque discruciantur, quàm quod amiserint, cujus præsentia frui perpetuò in votis optatisque haberi erunt unicè. Isthinc denique acerbissimis prosequuntur lachrymis desideratissimum suum, exoptatissimum, charissimumque PATREM

TREM

TREM parentes cæteri & liberi peræquè, quod morte Ejus relictæ hac in mundi iniquitate orphani sint, omni auxilio destituti, omni solatio, quod quidem à tanto Patre sperari potest, orbati; simulq; omnibus injuriarum procellis, ceu patrocini præsentis expertes tutelæque, obvii atq; expositi. Quid multis? Tam immensus & tam profundus ubiq; tangitur calamitatum gurgis, ut vix evadendi spes appareat ulla: tam tetra & tam profunda offenditur malorum angustiarumque vorago, ut vel respirare tantum, & angustas faucium vias à suffocatione servare liberas, difficile; Emergere autem, omneque discrimen perumpere, impossibile tantum non videatur. Ecce enim! Quem Patria, ut parentem, amabat, ut Dominum verebatur, ut Lumen suum suspiciebat, ut delicias suas amplectebatur, occultavit se sub Mortis umbras, ut nullibi conspiciatur. Affectum pium exuit parens, auctoritatem & majestatem deposuit Dominus, inconspicuum & invisibile factum est Lumen, delicias in mæstitiæ amarorem convertit & absynthium DELICIUM NOSTRUM. Qui tutum sese non credebat, cum ab illo non videretur olim; afflictum nunc se putet perditumq;, simul atq; illum videre nequit. Qui clementer subditorum querelas audivit, auditas multa commiserationis lenitate temperavit, temperatas autem justæ æquitatis lance ponderavit, ponderatas tandem proh! quanto, & quâ laudabili sapientiæ libramine in gaudium querentium, in salutem laborantium dijudicavit: Lamentabiles nunc querentium voces ac ejulatus non audit amplius, non lenit, non ponderat, non dijudicat. Altiores igitur ejulatus insurgere, & profundiores gemitus elici ex semimortuis præ angustia, mœroreque propemodum deficientibus subditorum animis quid impediatur? Cujus vita bonis omnibus tantò jucunda & optabilis erat opere, ut omnium hinc vita, vigor & jucunditas dependeret: Cujus salute publica salus & tranquillitas nostra continebatur: Cujus denique ex hilaritate communis ad omnes hilaritas descendebat; Illius Mors certè (ecquis enim dubitet, nisi qui profligatæ impietatis ac temeritatis reus fieri discupiat fortassè: Nisi qui degener filius ex parentis, nequam servus ex domini, seditiosus & rebellis subditus ex magistratus laudabilis morte, sibi vitam: ex obitu salutem, omnimodamque felicitatem ex abitu sibi promittat protervè?) Hujus inquam, Mors non nisi ruinam & interitum, afferre iisdem: Hujus obitus non nisi extremam infelicitatem & miseriam: Hujus denique abitus ad plures, aut, ut verius dicam, ad pauciores, non nisi dolores cordis, manus contorsiones, capilli que evulsiones valet; Ac necesse omnino est, luctu & mœrore abundare in morte, quæ in vita gaudio erant lætitiæque plenissima. Et teneat equidem subditos ardentius tantò desiderium Principis sui, quanto major est beneficiorum seges, spaciosior commodorum campus, quibus frui per laudabilem Reipublicæ administrationem sunt, cum Cœli gratia adorandam ipsius divinitatem (dii namque Principes sunt) adhuc concederet istis. Hoc magis ingemiscit improvise insperatoque BONI DATI dispendio mortalium humilitas, quo magis in isto videbat res stare factas tectas, integras & incolumes. Inter parentes & liberos mutuum intercedere amorem, æqualem affectum, & reciprocam animorum conjunctionem, facile negaverit nemo, nisi qui hospes in natura est, humanitatemque æquè callet cum ignarissimis. Quid nobis erat PRINCEPS NOSTER, cum viveret, quam pater clementissimus, quam pater patriæ exoptatissimus? *ἄρχων ἀγαθὸς ἔδειν διαφέρει ἀγαθῆ πατρός*, verè putat, qui Cyropædiam

de.

delineavit Xenophon. Quemadmodum enim pater in domo liberos sibi suos charos esse haud invitus patitur, animo & benevolentia complectitur, in tutelam recipit, ab omni imminentis cuspide periculi tueretur, in salute eorum quaerenda, promovenda & augenda non adeo multos, tranquillos atque otiosos ducit spiritus; Liberi contra amore, reverentia & honore prosequuntur eundem certatim: Num majus **BEATISSIMO PRINCIPI NOSTRO** credamus fuisse officium quoddam, quam subditorum in se suorum suscipere patrocinium? Nihil **HIC** in votis magis, in optatis habuit nihil, quam eorum ut, tanquam liberorum, tueretur vitam, quaereret salutem, adaugeret fortunas, reliquaque proveheret commoda. Nihil tam curae **EIDEM** fuit cordique, quam laborare enixè, quam sudare anxie, in conservando **PATRIS PATRIÆ** titulo, quem & merebatur egregie, & præ cæteris suum faciebat propemodum. Hinc & volupe erat Ipsi, nullo non tempore committere, quæ & Patri Patriæ ornamento, & Principi Optimo laudi ac gloriæ erant. Qui sanè titulus est, cujus summos Duces & Imperatores maximos neque puduit, neque piguit, ceu Cajum Octavium Augustum legimus, cum à tota senatus Romani societate isthoc patris patriæ titulo consalutaretur, ad lachrymas usq; delectatum. Quem honorem quoque nemo invidet aut neget **NOSTRO** piè defuncto **JOHANNI**, ut ut ad astra evehant quicumque subditi dominorum suorum erga se amorem: Hos omnes quippè affectu, amore, Clementia vicit, cui cum Imperatore Augusto plus gaudii & lætitiæ peperit in animo isthæc patris patriæ appellatio, quam pomposus cætera titulus, quique bonum Principem nihil differre à bono patre, non verbis declaravit nudè ac titulo, sed affectu & opere ipso in vita probavit clementissimè. Verum quò cecidisti **FLOS** terræ, sol atque sal patriæ! En! extinctus est **SOL** noster: Meris proindè tenebris immergitur orbis, qui tantam pati Ecclipsin cogitur: **DELICIUM** nostrum occidit; Quis ullum igitur animo sensum gaudii sine piaculo percipiat? Occubuit **JOHANNES NOSTER**: Et possent? Et vellent Anhaltinorum, mentes, oculi, corda sine doloris imbre, sine maroris fluente, sine anxietatum undis tam funestam ruinam, tam insanabilem plagam, tam lethiferam percussione, tam calamitosam jacturam intueri? estimare? expendere? Videor mihi nunc videre Ægyptiorum catervam longo ordine funera regum suorum insequentium: Viros quippè exequias euntes iisdem, nudato pectore acerbissimè plangentes: detectis uberibus mulieres crebris singultibus ululantes: Omnes luto caput & cineribus deturpantes; Et Anhaltinos non videam, Principem suum, heu! jacentem, heu! extinctum deflentes? Et subditos videam, Dominum suum heu! mortuum, heu! defunctum sine lachrymis dimittentes? Et unicum videam, tragicum hoc spectaculum siccis oculis adspicientem? Itanè triplex æs circa pectus habemus, ut ad interitum **PARENTIS** omnium charissimi, flecti prorsus ac moveri non possimus? Itanè tam ferreï sumus, ut ad casum **PRINCIPIS** omnium Optimi non emolliamur? Itanè tam duri, tam immites, ut abeunti & exeunti ex hoc mortalitatis ergastulo, **DOMINO** omnium clementissimo, oculorum nostrorum portas ocludamus? itane tam efferi, & ab omni humanitatis affectu alieni, ut in obitum **CAPITIS** supremi lachrymas invenire nequeant membra, à suæ felicitatis solio in infimum miseriæ barathrum deturbata & detrusa? Horrebamus, & timore percellebamur, quasi jaculo fauciati, parumq; aberat, quin infaus-

stus

Stus ac improvisus iste rumor horripilationem cervicibus nostris statue-
 rit, cum non Turcicus quidam Tyrannus ad quendam è Basfis & proceri-
 bus Imperii literas manu scriberet, nigro obvolutas holoferico, hancq; præ-
 seferentes summam: Mitte mihi tuum Caput; sed communis mortalium
 hostis & homicida MORS hanc terram Anhaltinam, in terra hac Ur-
 bem Servestanam, in Urbe & Orbe, reliquo omnes incolas alloqueretur
 Ipsa, vocemque prorsus temerariam & sceleratam eructaret: MITTE
 MIHI CAPUT TUUM, Principem tuum, Dominum tuum. O quam
 nulli eramus ad hanc vocem! Dubitabamus, Caput illud nostrum, maje-
 state plenum, omnibusq; venerandum, vel leviculo affectum morbo de-
 cumbere: stupore corripiebamur, cum rursus rursus, ultro citroque huc
 & illuc cursaretur, cum tertiatis hisce vici & plateæ personarent: ah,
 Princeps noster! ah Dominus in extremis est! ah, piissima anima jam in
 procinctu stat! Vita in extrema acie versatur! Peribamus & exanimaba-
 mur, cum alius alium volante pede exciperet: eheu! jam vixit Princeps
 noster: Alius, jam vivere desuit vita dignissimus Princeps. Vixit au-
 tem? O quis talia fando temperet à lachrymis? Quis oculo-
 rum fontem obstruat, ne ingens lachrymarum vis inde ebulliat,
 cum vel memoria tantum recolit, aut animo saltem arripit repentinum
 illum & inopinatum prorsus Campanarum tumultum, sonitum illum &
 clangorem, quo veluti ad arma citabatur tota regio, præterlapso abhinc
 proximè IV. Julio, nescia suæ fortunæ an infortunii? quarum murmura &
 bombi nec hucusque deseruerunt omnino aurium nostrarum anfractus.
 Malè sonant ejusmodi æramenta, & non nisi teneras didicerunt aures
 lædere, quæ ita dissonant, miserabilemque vocem edunt, ex rimis fortasse
 contractam, quas egerunt in utroque urbis templo, cum mortis inclemen-
 tia sandapilam proximo Paschate, Serenissimæ DOMUI HUIC ET
 FAMILIÆ Anhaltinæ jam inferret, & in tenerrimo ætatulæ statu, bellu-
 lum & blandidulum FLOSCULUM, non longo antè tempore feliciter
 enatum, & exortum; in sacro autem Fonte salutariter renatum, ex horto
 & viridario Principum amantissimo, sæva manu, & truculenta falce, non
 sine cordolio, & anhelio animi vulnere, non tantum resicaret, & nisi pro-
 hibita divino Numine fuisset, totum viridarium diruisset, excidisset, fundi-
 tusque dissipasset. Hac enim fini lœlium morborum disperferat, ut hinc
 noxii vepres pustularum ardentium: illinc perniciosi sentes papularum,
 liventium: istinc acutissimæ spinæ morbillosum extuberantium appare-
 rent, nihilq; in toto hoc illustri horti circuitu relictum fuerit, quod à le-
 thifera morborum contagione liberum manserit; Verum etiam (vox de-
 ficit, & linguarum cardines impediuntur in volvenda oratione: Nam ira-
 tum mihi Numen sentire videor; dum hæc enunciare jubeor) eadem
 Mortis virulentia & violentia decerpto FLOSCULO tenerrimo, trans-
 latoq; in cœlestem paradysum, inque eo inter rosas transplantato beatita-
 tis, & primulas Veris æternitatis, hoc est, abrepto pusione Celsissimo, non
 pepercit ARBORI robustissimæ, & STEMMATI totius familiæ, ex quo
 tot prodierunt & progerminarunt ILLUSTRES SURCULI, falcem
 immisit etiam, nec destitit prius, quam ARBOREM hanc EXCELSAM,
 quæ Nomen, Decus, & gloriam peperit familiæ, quæ umbram, defensionē
 & protectionem præbuit subditis, quam Cedrum hanc extirpavit, fundi-
 tus, evulsit stirpitus, excidit radicitus. O Mors horrenda, tremenda mors,
 telo minax & arcu! Tunc tam venerandum, tam plenum Majestate
)(:
 Caput

Caput non exhorruisti? Tunè tam electam virtutum sedem, tam politum Principalis Dignitatis domicilium destruere non extimuiſti? Itanè mori debuit, qui virtute immortalis erat? itanè relinquere homines debuit, qui omnibus hominibus melior erat? Sic fanè putemus, (absit autem menti præſagæ ſuperſtitio) rupta eſſe & fracta utriusque templi æra, ut rauca voce indicerent funera, quæ integra ac ſonora vix ac ne vix quidem audita ulli eſſent: Ut fracto ſonitu totam implerent terram, quæ perfecto ſingulis locis ſufficerent. Ramirum, aut aliis Ranimirum Aragoniæ, ex Monacho Regem factum, & ea propter regno indignum quibusdam habitum, in talis vindictam injuriæ campanam legimus curaffe conſlandam, cujus ſonitu totius imperii culmina concuterentur: Quid de Regum omnium Rege dicamus? Illumnè talem credamus conſlaſſe campanam, in ultionem ſcilicet contumeliæ injuriæque paratum, queis ſupremam Ejus Majestatem affecimus, quæ non hujus tantum principatus concuteret poſtes, ſed aliarum quoque regionum moveret tecta & parietes? Nempè non humani tantum quid accidiffe arbitremur Beatissimo PATRIÆ PATRI noſtro, cum juſſu Imperatoris de præſidio & ſtatione vitæ decedendum ei fuit, cumque exacto præſiniti ſpacio temporis debita naturæ ſolvenda. Amplius quid in reſſu adhuc eſt: Fortaſſe noſtrorum fæditas peccatorum & deformitas dignitatem adeò noſtram conſpurcavit, ut tanti nobilitas theſauri, tam ſplendidæ coronæ pretioſitas concedi in uſum nobis non potuerit amplius: Ut tam larga, tam copioſa beneficiorum ſeges, quam ſub felici & benedicto TANTI PRINCIPIS Imperio meſuimus, nobis deficiat impoſterum. O utinam exiſtat aliquis & exſurgat ex ſanctiſſimorum Prophetarum collegio hoc tempore, omnesque pinus & abietes ad plorandum invitet, quod CEDRUS noſtra ceciderit in Libano, & optimates miſeri facti valdè fuerint. Certè plus ſatis miſeri & optimates facti & populares ex æquo. Nemo vitio facilè nobis verterit, ſi omnes pinus, abietes, omnesque ſylvas convocemus, & ad plorandum, ad lugendum excitemus, quod CEDRUS ceciderit noſtra, qua ſtante, virente ac florente univerſa exhilarata regio eſt, ut non homines tantum ipſi, ſed expertes etiam rationis animantes: Nec regio quoque univerſa, ſed & oppida & pagi, quin imò muri atque parietes eorundem, & denique res omnes, vel ſenſu carentes inuſitatam quandam, atque inauditam lætitiã præſe ferre viderentur: Nunc inverſo prohdolor! rerum ordine, dejecta arbore, abietibusque ſua privatis Cedro, hoc eſt, exule per mortem facto Principe piſſimo, & ſubditis CAPITE truncatis, quis non lugeat? non mœreat? non doleat? non morabimur ſeverum aliquod aut rigidum Tiberii interdictum, capitali pœna deſlere mortuos prohibentis; Ipſas quoque matres flentes ſuper mortuis filiis convictasque trucidantis: Major eſt calamitas noſtra, quam huic interdicto ut ſubjacere poſſimus. Poſſunt equidem, poſſunt matres dedolere filiorum mortem, ceu ſingularem, & privatas modò ædium partes attingentem; In publico autem & communi non filii alicujus, non patris, non matris, non affiniũ, ſed chariſſimi, ſed jucundiſſimi omnium patriæ patris obitu quis omnem abjiciat dolorem, niſi qui obduruerit proſus & occalluerit ad omnem peccati ſenſum? Verendum eſſet, ne ad iſtius Voſſii, Pomerani Nobilis exemplum, Ducis Georgii morte, qua in ob publicum damnum, & infortunium nemo non lugeret, dolore & miſeria unusquisque tabeſceret, iſtaque tempora alacritatem animi omnibus eriperent,

paruna

parum affecti, sed lætitiã satis magnam ex ea capientis, similem experiri pœnam, quam ille expertus nobilis est, & nos oporteret. Ita namque subitaneo tristiciæ correptus nuncio traditur, quo non nubes tantum illa gaudiorum dissipata & dispersa fuit; sed ipse quoque insequenti statim die vitã decessit, & raptus ad plures est, deficiente familia insuper & decrefcente profapia, ut ne adfuerit quidem, qui ridere in Domini sui morte poterit amplius. Hoc est Majestatem cavillari, & cavillationis suæ damna facere: Hoc est in seriis rebus jocari, & medio in joco suffocari: Hoc est res sacras stultè profanare & pretium ob stultitiã ferre. Ne idem & nobis accidat, cautius in tempore mercari discamus, hoc est, Oraculo jubenti divino obsequamur, & cum flentibus fleamus. Et hoc nisi fecerimus, verendum iterum erit, ne vitæ sensusque omnis expertia corpora, ceu ædium privatarum, templorumque & aliarum publicarum culmina mæreant, lugubresque vestes induant, uti palatium istud & aula Ducalis Ordersburgum Pomeraniæ, propè Stetinum, traditur monumentis literarum super pientissimi Ducis sui Barnimi occasu luctum prodidisse, dum Tritones, globi, vexilla, aliaque castelli istius signa, tempestatis futuræ nuncia, una nocte, eaque pura & serena, nec fulgure nec tonitru, nec imbribus turbata aut infecta, splendidam faciem suam, nam inaurata ex arte prius erant omnia, amiserunt, & in atratum colorem non sine stupore abierunt. Quibus & hoc addendum, quod laudatissimi hujus Principis mortem omne infortunii genus insecutum sit: Ducatus, quem rexit sapienter, post Ducis obitum, parum, aut verius, nihil expertus felicitatis est, nec post regentium ulli favisse fortuna legitur, ut regiminis sui hæredem masculum nacti ulterius fuissent. Quid? quod impositum capulo & elatum jam à portatoribus funus piè defuncti Ducis, excepisse primum pluviam tenuem, mox præcipitem & imbrem densissimum cum grandine infurxisse, & cum di midium viæ paulatim & lentè processissent, repentinam fulgurismicationem cœlo exisse, insimulque tonitruum fulmina ad eò tetigisse templorum, maximè Divi Jacobi metam, ut rupta hæc quidem, nec incendium tamen subsequutum fuerit, annales referant. Quæ tempestas, simul ac Ducale funus, illatum templo, sedata statim fuit, lucidusque solis splendor ex nubium densitate refulsit. Quod certè factum, uti infausi ominis præsagium fuit. Ita nec vanum, nec præsagientes fefellit. Flagitium est, religiosorum Principum & Heroum mortes insuper habere: scelus est, easdem non dolenter ferre: Parricidium propè, iisdem lætari. Excitet nos potius in luctuoso hoc casu, in plusquam Heracliteis lachrymis deplorando statu, non illaudabile spartanorum institutum, qui defuncto Rege imperabant, ut Equites obitum regis enunciantes cursitarent, foeminaque crinibus passis & libero conquestu, tinnitu ollas pulsarent æneas, quibus nec nocte nec die quies. Quo facto, hæcque ratione aperto regis obitu in omnem luctus formam concedi permissum erat. Quid nobis verò putatis esse faciendum, in tali quippè re ac tempore? Vos alloquor, VIRI ac AUDITORES observantissimi! Quid imperatis defuncto PRINCIPE NOSTRO piissimo, defuncto patriæ patre amantissimo? Nonnè summi, infimi, grandes, medii, omnes ad unum libero conquestu cursitent? Nonnè tinnitu ollarum ænearum, sonitu campanarū, PRINCIPIS NOSTRI BEATISSIMI, morte, non in hoc tantum principatu, sed aliis quoque regionibus aperta facta, in omnem luctus mœrorisque formam concedatur? Num quies statim à luctu, à mœrore, dolore, simul & cessatio cum funebri

concione,habita beatissimæ FELICISSIMI PRINCIPIS memoria,his
 imposita terris est? Imò nec nocte sit,nec die quies. Et excitent quemq;
 nostrum ad faciendum hoc Israëlita, quibus ne latum unguem quidem
 cedamus,Moyfen,Ducem suum,Principem suum, etiam in campestribus
 Moabitarum triginta integros dies, pro more suo, flentes acriter, usque
 dum completi dies planctus fuerint. Moveant nos omnes imperii Juda-
 cii status, post funera sanctissimi Josiæ Regis, unanimi suffragio conjun-
 ctisque viribus congregati mortem Regis profusa lachrymarum uberta-
 te deplorantes, magno cum gemitu & planctu lugentes, mox pectora
 præ mœrore pertundentes, mox humeros crebriore ictu verberantes.
 Hisce condolentes & nos jungamus,lachrymarum urnulam nostrarum,
 ponentes propè cineres JOSIÆ nostri, ASSÆ nostri, JOHANNIS
 nostri,toto corde DEum religiosissimè colentis & verentis, nobisq;
 certò persuadeamus certius,tantorum Principum,Regum & Heroum occa-
 su,subditis occidere etiam providum & clementem Patrem; Ipsiq;
 frontem non contrahant, non caperent, relictis filii? Interire CAPUT; Et
 membra non doleant,caputq;
 demittant? Cum & rugosa experientia te-
 stetur canities,piorum moderatorum, & laudabilium rectorum Rerum-
 publicarum exitus inseguitas plerumque esse quam magnas,quam pericu-
 losas earundem vicissitudines? Audite vigilantissimum Mediolanensi-
 um præfulem: Quid,inquietem, Virorum magnorum funera, nonnè
 mutationum sunt ac calamitatum prænuncia? Audite Cominæum, illu-
 strem cætera scriptorem,ab interitu Principum magnas fieri rerum con-
 versiones,graviter asserentem. Et qui aliter fieri potuit? Cum sol,mundi
 oculus, obscuratur in cœlo, quid nisi periculosa admodum insequuntur
 mutationes in terra? Quid boni inseguitum est unquam, cum pii patriæ
 protectores lumina clausserunt? Non levis res momenti est, multo verò
 minus planè de nihilo, cum altissimus Monarcha,inter clypeos terræ,tu-
 multus movet, strepitus & crepitus excitat,unum dejicit, alterum suspen-
 dit: quis, quæso, sine ulla periculi magnitudine fieri hæc posse dicat? Quis
 indubium adesse infortunii non procul absentis prodromum neget? Sicuti
 enim DEus benè dicturus & factururus terræ bonum largitur principem:
 subtrahendo istum quid ex adversa parte est, quam infallibile pœnæ, quã
 manifestum vindictæ, indultu DEI, infligendæ indicium? Et nos oculis
 non madidis hoc, quicquid est, infortunii adspiciamus? Et nos futurum,
 malum intuentes securè illud negligamus? Et nos pœnam imminentem,
 totoque pectore deprecandam, sicco tristitiæ pede prætereamus? Et nos
 ad vocem publicam, omni ab impietate & securitate sedulo nos dehor-
 tantem, profundissimo contemptus somno ita oppressi stertamus, ut ad
 bonum,ad utile,ad salutare,nequaquam evigilemus? Hæc autem cum di-
 co,simulatas istas lachrymulas,falsasque, per vim etiam elicitas, non lau-
 do,quibus nihil stultitius est, scilicet,addo & levius, dum in acerbis func-
 rum casibus,famam captare tristitiæ sentias quosdam, & lachrymas ap-
 probare;in secreto autem tacitos quietosque esse, cum aliqui viderint,in-
 fletus novos excitari. Uti

Amisum non flet, cum sola est Gellia, patrem:

Si quis adest,justæ profiliunt lachrymæ.

Pessimum genus hominum,qui ita illudere consueverunt mortalibus, ita
 deridere aliorum infortunia, ita ex oculis vel pumice quovis siccioribus,
 fletus & lachrymas extorquere. Non oculi plorent modò; sed cor do-
 leat:

leat: Non genæ tantum madescant; sed animus ingemiscat etiam: Non verba saltim edantur querula & amarulenta; sed gemitus quoque, sed suspiria de lachrymabunda testentur mente, de vulnerata peccatorum plusquam serpentinis morsibus, gratiam verò salvatoris, dolente & tamen fidente animo, sitiente, testentur conscientia. Nam propter malè perpetrata terrarum populorumque facinora, plurimæ eaque periculosa oriuntur, sapientissimo Hebræorum Regum teste, principatum mutationes. Devota igitur subditorum cohors jure merito pii Magistratus mortem calidis prosequitur lamentis, in hos effusa threnos: Ah! cecidit corona nostra Capitis: Væ nobis, quod peccavimus: Factus ea propter dolor vehemens, cor nostrum: Offusi tenebris sunt oculi nostri: Dissolutum est gaudium cordis nostri: Conversus est in luctum chorus noster; Væ nobis, & iterum væ nobis, quod sic peccavimus. Tristitia pleni descendimus cum hieropsalte in hanc lachrymarum vallem: Iratus est furor tuus, Domine, in oves pascua tuæ, subducto nimirum tam Vigili nobis pastore: In gemitus & suspiria hinc abripimur cum propheta Babylonem eunte: Pupilli facti sumus, & non est nobis pater, tam sollicito nempè, & tam benivolo ac benefico patre spoliatis. Cum laudato modò Mediolanensium Episcopo fatalis discessus piissimi Imperatoris Valentiniani nunciaretur, Auditores, quo potuit, justis doloris affectu, ad luctum, ad mœrorem, adhortatus hoc verborum compendio est: Solvamus Optimo Principi lachrymas stipendiarias. Quidni & nos quoque in communi hoc luctu, in publico mœrore, ex justissimi amoris, honoris & doloris affectu nos alloquamur: solvamus optimo Principi, imò optimo patri lachrymas stipendiarias, non propter Ipsum quidem, qui tanquam fidelis DEi servus acquiescit in sepultura, & cujus memoria in laudibus & benedictione versatur: qui non cecidit, sed sublatus est, ex labore ad quietem, ex afflictione ad gaudium; Verum propter nos maximè, qui præcipitati in terræ pulverem sumus, & in acie novacula sedemus, qui oves sine pastore, pupilli sine patre audimus; Imò qui criminis fœditate tam pium patriæ patrem, tam clementem Principem in Mortis fauces detrusimus Ipsique nobis cum turdo malum paravimus, hoc est, causam & ansam dedimus, quod ea potissimum ætate ablatus à nobis fuerit, qua Eiusdem præsentia, ope & auxilio, in tanta præsertim, & tam latè patente periculi malorumque prolixitate, indigebamus maximè. Ah! deploremus infortunium nostrum, **PRINCIPES CELSISSIMI**: Ah! invocemus Coeleste & Æternum Numen, **AUDITORES MÆSTISSIMI**, ut missa peccatorum culpa, remissa, quam sumus promeriti, pœna, utraque in imum Oceani gurgitem demissa, averruncare à finibus, imò à cervicibus nostris, quicquid obesse terræ, quicquid turbare tranquillitatem subditorum, destruere felicitatem civium, quicquid nocere potest omnibus, velit clementissimè. Ad alia nunc progredior, & cujus gratia prodire, iussus in medium sum, breviter exponam. Facturo autem mihi hoc, vetustissimus oppidò succurrit ritus Ægyptiorum, qui, quem honorem defunctorum Regum manibus decreturi essent, dijudicaturi, in eorum annos ac vitas, priusquam in sepulchrum inferrent, inquirebant diligentissimè, eorumque virtutes ac vitia duabus unius quasi trutinæ lancibus appendentes, ex utriusque libramine æstimabant. Quem morem, uti plenissimis prædicandum buccis, magnifica extollendum commendatione contendunt omnes, quod admirabilis hoc modo & diligentissima in di-

tribuendis laudibus cernatur prudentia, minùs verò sua virtuti denegetur jùstitia : Tum & iniquum sit, si præmio defraudes virtutem ; Maximè piùm autem post mortem etiam honorare superstitem : Ita nihil minus apud SERENISSIMI JOHANNIS sepulchrum mihi faciendum hodiè est, cujus generosa quippè & divina virtus tali non eget ritu, nihilque quicquam Majestati ejusdem detrahitur, si vel hunc non experiatur, cum satis superque splendida per se sit : Cum adeò præstans & perfecta in sermonem hunc nostrum incurrat, tam radiosum cujusdam divinitatis vultum ostendat, ut nullam, ne exiguam quidem aut raram ullius vitii umbraculam secum esse patiatur. Quid faciendum igitur? Tacendum, quod sine scelere taceri non potest? Dicendum autem, quod ita plenum, ita perfectum, ut omnem dicendi facultatem excedat, omnem facundiam superet, num sine flagitio, sine turpitudine fieri hoc posse creditis? Audire mihi videor susurrantem in aures nonneminem: Heus tu! quid moliris? Laudandum suscipis, quem nemo culpavit unquam? Accedere profanus audes, cujus Majestas te repellit? Extollere mortalis discupis, quem immortalitas abripuit? Evehere, minima terræ portio, conaris, quem augusta suscepit cœli regia? Inquietare appellando toties in ærumnosa hac vita desideras, qui æternis fruitur suavissimisque DEi, in æternæ illius vitæ tripudio, amplexibus? Dulcissimo delectatur sanctorum angelorum colloquio? jucundissimo lætatur beatorum electorumque consortio? ô beatitudinem! ô felicitatem! Vide ne reus Majestatis læsæ fias, dum multaconando, effeceris minimum: Dum omnia dicendo, nihil dixeris. Ecquis, quæso, est tam sagax & perspicax, ut velut Argus panoptes, à fronte pariter atque tergo oculatus, pervidere possit tam latum, tam spaciosum, fragrantissimis virtutum, tanto Principe dignissimarum, inque eo, cum viveret, quarundam quasi stellarum terrestrium, hinc superbientium; quasi florum cœlestium, indè rutilantium: Undiquaque ceu oculiferio quodam, permoventium, emptoresque allicientium in morem, consitum herbis Hortum, ac floribus campum? Hi in coronam concinnati & adaptati multicolorem REGEM seu PRINCIPEM suum, in medio consistentem Horto, quem si Florem Imperialem appellaveris, non facile errabis; mirismodis venerantur & exosculantur. Inter omnes prominet, & primas quasi tenet aurea PIETATIS PANACEA, omnes noxias & perniciosas vitiorum radices, lappasque tribulosque, & steriles avenas suffocans, & propter se extinguens: Hinc gratisimum de se spirat odorem saluberrimum quoddam JUSTITIÆ MOLT, lurida & livida iniquitatis, fraudis, insidiarum, malivè doli, ceu Circes cujusdam in belluas & fues immundas mutantis homines, aconita propulsans: Mox surgentem videas AGNUM CASTUM Temperantiæ, omnes animi affectus moderatè regentem, omnes corporis motus sapienter moderantem; noxias autem EBRIETATIS SALICES, pungentes, & aculeatos Veneris atq; Bacchi carduos, somniferum item crapulæ ac ingluviei papaver expellentem: Dehinc VIOLÆ erumpunt, vel purpuræ certantes, HUMILITATIS, à pertinacissimè mortalium cordibus inhærente toxico, quod voce sua serpentinus cacodæmon: Eritis sicut dii; primis parentibus afflaverat, fortiter conservantes, & luxuriantes in Sylvis SUPERBIÆ CAROLINAS ejicientes. Quam dextrè erigunt se CANDORIS & INTEGRITATIS LILIA: Quæ cum mundum habeant caput, mentem mundam, toto etiam corpore munda sunt: quæ si loqui possent, dicerent

libe-

liberè: Quæ non sentio, non amo dicere frustra; totis viribus **OPHIOGLOSSUM CALUMNIÆ**, simulationis, astutiæ, fallaciæque, ceu sordida hominum purgamenta, & adulatricis turbæ blanditias, quasi filios seculi hujus comica facie agentium tragædias, perdentia? Quis non miratur rarissimæ **MODESTIÆ TUSAI**, herbam diis gratissimam, juxta Tragicum poëtam: Dii amant modestos, & oderunt malos; rusticæ **AMBITIONIS BUGLOSSUM** averfans? Ecce verò invictæ infractæq; **PATIENTIÆ ACANTHUM**, probatissimum illud totius vitæ antidotum, quam aspernatur fortiter inimicum istud, & ex omnium animis, ceu hortis & agris quibusdam evellendum, inque Utopiam transplantandum **IMPATIENTIÆ** noli me tangere? Quam meminit dulciter, quod durum, antè fuit pati? Adspicite **ROREM SOLIS CONSTANTIÆ** immobilis, quam non moratur actionum humanarum Aprilem, vel centies in die mutantem? Quam animosè contemnit circumseptas **FUTILITATIS CANNAS**? quam audaciter spernit **LEVITATIS CALLAMOS**? Dissipat vertumnos tales in aula & Regia sua sibi semper obvios, non secus, ac Gordios nodos Alexander. Non curat hic **FLOS ECEBULOS**, vel quavis arundine mutabiliores, sub Constantino Imp. Christianam religionem profitentes: Sub Juliano apostata ethnicas superstitiones amplectentes: sub Joviano rursus ad Christianos redeuntes: Abesse ab aula imò urbe & orbe suo jubet levissimos ejusmodi Alcibiades, qui modo ab Atheniensibus ad Spartanos, mox ab his ad Persas, inde rursus ad Athenienses, postea ad Thraces, & tandem iterum ad Persas deficiunt: **ROS SOLIS** noster pejus cane & angue fugit inconstantes hoscæ, & qui in levitate tantum constantes sunt, quibus modò hæc, modò illa sapit fides, & quæ religio dulcis jam fuit, omni celerius opinione amara, incipit esse: Iterum, quam amplexi hodiè sunt, cras persequuntur odio plus quam Vatiniano, & dente Theonino arrodunt. Noxii homines, qui ita cum vulgo incerto in contraria scinduntur studia. Sed offert se hîc in corona nostra flosculus alius. Contemplamini ferventissimæ **ADORATIONIS TULIPAM**, quam gratum oculis, quam acceptum mentibus, uno caule triplicis imaginis repræsentat colorem, aut varii coloris unum numero exhibet florem? Quam suaveolentum efflat attentissimæ precationis odorem? Quam averfatur putidæ ac putridæ **SOMNOLENTIÆ** opium? Alacritatem amat & assiduitatem: Nam manum admoventi sunt vocanda Numina; pigritiem odit, omnemque socordiam, nec ad segnes movetur supplicationes. Non votis, pedibus in hanc sententiam it salustianus Cato, neq; suppliciis, inquiens, muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, benè consulendo, & prosperè agendo omnia cedunt: Ubi socordiæ & ignaviæ te tradideris, nequicquam Deos implores; irati infestiq; sunt. Quò respexit forsan Romanorum prudentia, quod **AGENORIAM**, quæ ad agendum excitaret; **STIMULAM**, quæ ad agendum ultrò stimularet, & **STRENUAM** quæ faceret strenuum, intra Urbem, tanquam Deas colerent, & sacra publica illis constituerent; **QUIETEM** verò Deam publicè suscipere noluerunt; Sed ante Urbem in via Lavicana fanum illi destinarunt. Succedit **TRIFOLIUM PRUDENTIÆ**, quæ ut inter cives à Græco Poëta: Sic non abs re inter corollæ hujus flores voluptas vocetur meritò. Adest **BETONICA BENIGNITATIS: EUPHRAGIA HUMANITATIS: PENTAPHYLLON** liberalitatis, & plurima alia,
 Quæ

Quæ non nostra satis celebrabit langvida lingua,
Nec potis est calamus sat celebrare levis :

Ecquis enim omnia isthæc virtutum ornamenta recensere, omnia Flo-
sculorum genera colligere valet, quæ ad instar Heliotropii capita SOLI
HUIC obvertunt, inque eo suum quærunt domicilium. Vt namque
Heliotropia, testante Romanorum doctissimo, Solis ortum spectant ma-
nè, & ejus iter ita sequuntur ad occasum, ut ad eum semper spectent: Non
absimili modo totus virtutum chorus, ita per totius Vitæ itinera comita-
tus SERENISSIMUM NOSTRUM PRINCIPEM est, ut ab
ortu ad occasum usque, non serum quidem, sed satis eheu! immaturum;
Dei tamen consilio definitum & maturum factum, venerandam Ipsius fa-
ciem respexerint semper, hæcque simul fragrantissima corona subtracta
in morte seculo, præstò memoriæ est. Res diffusæ & ingentis historiæ esset,
sigillatim expendere omnia, non orationis, tam arctis circumseptæ li mi-
tibus, ut transilire fines hosce temerarium prorsus putetur: Quot, quæso,
volumina confereret, qui vetustissimæ hujus prosapiæ Anhalcinæ, anti-
quisimæ familiæ Ascaniensis, ortum inde usque à condito fermè mun-
do, aut si non nihil recedas, ab Ascane aut Ascenaze, qui proximè attingit
patriarcharum tempora, & proavum agnoscit Nauclerum illum, univer-
sali istius divinæque navigationis, Noachum, qui occulebatur in navigio
admirando, extra quod non vita erat, sed mors præsentanea, iturus esset
descriptum? Qui progressum per varias temporum ætates, in hanc no-
stram usque: diversas migrationes terra marique in hanc usq; Germani-
am nostram: Varias fortunæ vicissitudines, queis Ascanis posteri subjecti
fuerunt: alia compluria: Tot Heroës magnanimos, tot Imperii Atlantes,
quorum consiliis longo seculorum decursu, vel ipsi Imperatores usi: quo-
rum Judicia Camera, & summa in mundo tribunalia sunt experta: quo-
rum dexteritas Religioni veræ probata: Tot ecclesiæ orthodoxias luce
fulgentis, columnas, sexcenta alia, vel levi tantum penicillo delineaturus
esset, quot libros, quæso, vel utraque pagina plenos relinqueret? Num veræ
autem Nobilitati, quæfere vos liber, PRINCIPES, & AUDITO-
RES, quicquam accedit indè, cum per mille tritavos & amplius, ex Impe-
ratorum, Electorum, & Maximorum mundi sanguine, stemma superbè
deducitur? Ecquid aliud est ex avorum numero, majore & minore, ex
conduplicatis etiam utriusque sexus octodecavis, nobilitatem æstimare,
quam si filius prærogativæ dignitatem ex eo objiciat patri stultissimè, eo-
que nobilior velit esse, quod uno avo superet illum? Quid hoc esset? sanè,

---- Perit omnis in illo

Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

Num, quod ante nos fuit, nostrum putemus? Nonnè potius?

Et Genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,

Non ea nostra puto.

Non dividia ero, si uno obtutu, rapidissimo oculorum cursu, longissi-
mam MAJORUM ILLVSTRISSIMORVM seriem percur-
rero, imitaturus hanc ad rem nobilissimum pictorem Timanthem, qui
Cyclopi horreni & immanis, parva in tabula, magnitudinem expressu-
rus, pollicem duntaxat ejus, quem satyri juxta picti, thyrsu metirentur, pe-
nicillo adumbravit. Dicendum igitur, Serenissimum JOHANNEM,
si immensum istud flumen, navigabiles etiam fontes & rivi, continuo flu-
xu, insequantur, cum SOBOLE ILLVSTRISSIMA, adhuc per
DEI

DEI gratiam superstite, hocque instanti momento, gratiosissimi Domini parentis, beatissimam memoriam, pio mæstoque animo recolente, cum tota Anhaltini stemmatis, seu sanguine seu affinitate juncti, propinquitate, suas debere origines, Primosque natales, antiquissimis Saxoniae principibus, Ursis scilicet seu Beringeris, qui ante consummatam etiam lapsi hominis, longo temporis tractu, per assumptam Servatoris, pacifici illius inter DEum Hominesque Sequestri, Humanitatem, in Deiparæ gremio, Redemptionem, Saxoniae oras incoluerunt, profectis prius prædicti Ascanis posteris ex minoris Asiae provincia, qua in Ascaniae urbis conditores fuerint, in Europam ad saltum Harcynium, sedemque ibidem figentibus in Ballensted & ad visurgim: sine omni etiam dubio urbe extracta & ædificata iisdem, cui familiae nomen, Ascania videlicet, indiderunt, acquisita insuper magna regionum in Saxonia & Thuringia multitudine. Qua ex familia plurimi in Saxonico regno extiterunt Tetrarchæ, qui Bellonæ tempore, Regium nomen & titulum gesserunt, quos inter Bernthobaldus, Ursus cognomento, primus Tetrarcha & Comes Ascania, qui floruit sub Anastasio Dicoro, Justino, orthodoxo suum boumque in teneris custode, dehinc lignario, & Justiniano Codicista, Imperatoribus, & Beatissimo Principi nostro proseptidecavus extitit. Hic Clotharii Christianissimi Galliarum Regis I. ætate, post annum quippè Redempti Orbis quingentesimum vixit: Cujus nominis Bernthobaldum II. Principes Saxonici Regem & Generalem exercitus, contra Clotharium II. Gallia Regem, designarunt, seculo proximè sequente. Imprimis Beringerus Filius Berntholdi, (aut si mavultis Beringum & Bartholdum pronunciare, ferram faciliè recipiabit nemo) Dominus in Ballensted ac Ascania, Tetrarcha item Saxonicus, declaratus Rex Saxoniae fuit contra Clodoveum, Gallia Regem. Qui postea etiam sub Theodosio militavit juniore, appellatusque Princeps Ursinus fuit, vel ob res fortiter & strenuè gestas, vel quod Ursos, qui maximum attulerant damnum incolis, animosè aggressus devastavit. Hac ex Beringi Ursini stirpe nobiles prodierunt Romani, iis parentibus (ex hisce locis in Italiam vocatis) procreati, quibus Imperatores Germanici gubernationem commiserunt Italiae. Postquam autem circa annum Christi Quadragesimum quintum, ultra sexcentimum, bella periculosa in Saxoniae finibus gliscebant, Imperator CONSTANS, Constantini Filius, Heraclii Nepos, & Senatus Romanus ARIBERTUM, principem Ursinum, & Agnatum Beringorum, Dominorum in Ballensted & Ascania, in Saxoniam ad Visurgim, ad Harcynias sylvas, ad Romani Imperii Saxoniaeque limites defendendos, contra Gallos mittunt: Qui veniens ad loca agnatorum suorum, BERINGI II. & HERMIS, jam vita functorum, ditiones & regiones occupavit. A quo ARIBERTO, nonnullis Aribone dicto, post aliquot seculorum intervalla prognatus est ALBERTUS URSUS, pro sextavus BEATISSIMI NOSTRI, ab Imperatore FRIDERICO Ahenobarbo, quod varios contra hostes fidam fortemque navasset operam LOTHARIO Saxoni, post mortem Primislai Regis Vandalici & Marchiae, Elector creatus Brandenburgicus, totius Marchiae ambitum, veteris novaeque accepit, cuius peculiarem cum Bernhardo Monacho, & Abbate Clarevallenfi familiaritatem miris modis commendat historiarum veritas. Cujus filius, patre non minor, BERNHARDUS, ab eodem Imperatore Friderico Barbarossa, cuius Signifer inter arma erat, exautorato Henrico Leone, Saxoniae Elector, Dux etiam

Westphaliæ & Angriæ inauguratus est: Insuper ob excellentes corporis ac animi dotes, ob facta in bello heroica, nam in conservanda Germanorum libertate sedulus fuit, insignia trabium quinq; alternatim auratarum & nigrarum, fertiq; rutacei, quibus Saxoniarum Duces nunc utuntur, ex donatione Friderici I. primus etiam usurpavit. Qua deinceps ex Illustri Ballenstedensi-um & Ascaniensium familia, TREDECIM MARCHIONES & ELECTORES BRANDENBURGICI, qui Marchionatum & Electoriam Dignitatem ultra Centum, quinq; & septuaginta annos continua serie, in sua habuerunt ac retinuerunt familia: Nec minus Duces atq; ELECTORES SAXONIÆ, numero QUATUORDECIM, qui duo integra secula cum dimidio, ad clavum Electoralis regiminis Saxonici federunt, eidemq; cum laude præfuerunt; propagati, & velut ex altis prognati radicibus sunt; usq; dum extincta prorsus lineâ OTTONIS I. FILII ALBERTI URSI, deficiente hærede masculino, Electorale officium Brandenburgicum, cum totius Marchiæ districtu pervenire ad Rudolphum Anhaltinum, tunc temporis Saxoniarum Electorem, Bernhardi II. Filium, vel ad alium agnatum Anhaltinum debuit: Injuriâ autem fortunæ, & invito LUDOVICO BAVARO, Imperatore Romano, ad Filium ejus Ludovicum Romanum, Bavariæ Ducem, præterita Anhaltinorum principum familia, malè translata est: Cessante etiam, ex eodem masculi hæredis defectu, lineâ ALBERTI, Electoris Saxonici, ultimi nepotis Bernhardi, Principis Anhaltini, junioris dicti, adeoq; Electorum & Ducum Saxoniarum, ex Anhaltina familia penitus extincta, morte Ejusdem, quam passus Witebergæ fuit Albertus, anno post seculum quartum decimum, secundo & vicesimo, Imperator SIGISMUNDUS Electoratus Dignitatem, aliaque Budæ in Hungaria, tradidit FRIDERICO Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Misniæ, Friderici I. cognomento strenui Filio, parum, aut verius, nihil moratus FRIDERICI I. Imperatoris Decretum, quo sanciverat, ut extincta utraq; & Electorum Ducumq; Saxoniarum, pariter & Marchionum Brandenburgicorum linea, ad Anhaltinam lineam & Familiam dignitas septemviralis, & aliæ ditiones transfirent. Verum excidere Illustrissimam Domum Anhaltinam hisce Dignitatibus, carere Ascaniensem familiam tot ditionibus, tot provinciis, temporum injuriâ quidem, fortunæque fraudibus oportuit, ut illa etiam agnosceretur mutatio; quam divina non rarò inducit regnis & imperiis dispositio. Hoc tantum volui: Mirum, imò & incredibile videri propemodum, ante tot seculorum decurias, & nomen Ascanium in has Germaniæ plagas, vario fortunæ ductu commigrasse, & in hunc usque diem Ascanios à primo adventu inter maximas humanarum rerum vicissitudines, tot populorum confusiones, tot regnorum & provinciarum mutationes, tot ruinas Imperiorum, suis in sedibus mansisse, nomenque retinuisse; Non dicam, in tres Illustrissimas Germaniæ familias, Electorales duas, & unam Anhaltinorum Principum diffundere sese potuisse. Quâquam si ad memoriam nostram paulo accedere velimus propius, non defuerunt unquam, qui majorum exemplo gloriam familiæ omnibus maximis virtutibus, cum exquisita omnium actionum harmonia, propagare, studuerunt. Non curiosus ero amplius in adducendis Majoribus, secus futurum, ut, si vel ante lucem narrationis iter ire occiperem, concubium esset noctis, ante ad finem quam pervenirem: Cum nulla etiam detur Rhetorica, nulla Orationis suada, dicendi Veneres nullæ, quæ Familiæ omnium Splendidissimæ, Nobilitatem, quæ prosapiæ omnium Nobilissimæ, splendorem assequi possint. Unum JOHANNEM,

sere.

Serenissimi JOHANNIS nostri, proavum quis non audivit? Vultis principem concordem? Hic certè cum conjunctissima Fratrum Biga, Georgio & Joachimo, summa vixit in concordia, ut elegantissimum quoddam Concordiæ Trifolium constituisse videantur: Ille etiam Johannes Philadelphus dictus cognomine, & fratres secundum Excellentiam dicti Concordes fuerint. Vultis piū? Vultis erga subditos clementem? Hic sacras literas, & historias veterum prælectas sibi audivit attentissimè, ædificiis ditionem suam exornavit elegantissimè, subditis etiam ad ædium, extructionem ligna concessit liberalissimè. Maluit namq; homines sibi cohabitare, laudatissimus Princeps, quam bestias sub arborum umbra in Sylvis latere, uti arbores solebat respondere petentibus ex sylvis. Et cum occasione hac GEORGII fratris insperfa mentio fuerit, non possumus non Principem hunc mirari, quem tota satis admirari nequit Germania, ceu Optimi Principis, & sanctissimi pastoris munere fungentem, in cubiculo templum, Academiam simul & Curiam habentem. Hic princeps otium detestatus summè, vel studiis invigilavit sacris, & conciones scripsit, quæ adhuc prostant, eruditissimas; vel pauperibus distribuit Eleemosynas: vel visitavit ægros ac consolatus est: vel in ditione sua politica gubernationi præfuit sapientissimè. Moriturus ministris Ecclesiæ annua stipendia, aliquot modios siliginis, constituisse fertur. Nec sua defraudabo laude, qua dignus est, quandiu mundi stabunt tibicines, patruelem JOHANNIS hujus WOLFFGANGUM, ah! quem Principem? Audite sanctissimum, cujus de laudibus nulla unquam conticescet ætas: Audite Magnanimum: Nam posthabito præsentissimo capitis periculo confessionem nostram, quam Augustanam à loco vocamus, cum Georgio Marchione Brandenburgico, Johanne septemviro Saxone, aliis protestantium Ordini addictis, CAROLO Imperii Tutori, exhibuit. Audite Liberalissimum: Nam cum cœlebs viveret, multa Testamenta condidit pro subditis, ex quibus etiam alantur studiosi stipendiarii. Audite piissimum & tranquillissimum: Pietati & precibus vacavit indefinenter, & ut pacatè tranquilleque vacare posset iisdem, vivus adhuc ditiones suas Filiis patruelis sui, Domino JOACHIMO ERNESTO, & Domino BERNHARDO, Principibus Anhaltinis, tradidit. Et dum JOACHIMVM ERNESTVM nomino, AVVM paternum piissimè DEFUNCTI NOSTRI percipite. Felicissimi hujus principis, juxtaq; piissimi Dei Musarumq; Cultoris manes veneramur meritò, quem quippè non cœca quædam gentilium Dea amavit, sed divina vis & inclinatio adeò respexit, ut felicitatis axioma vindicare sibi meritò potuerit. Solus totum principatum, denatis fratribus possedit, quod intra ducentos annos ex familia hac obtigerat nemini. Non possum hoc loco sicco silentii pede præterire insigne & invidendū prorsus elogium, quo mactavit principem hunc laudatissimum, Legatus quidam Gallicus: Qui cum quodam societatis Jesu, ut vocant, Theologo, paulò post obitum tanti principis inciderat in familiare Colloquium, & inter varia, uti fieri amat, mentionem injiciens Stephani Batorii, Poloniae Regis, qui & ipse non ita pridem fato functus erat, magnam, ait, Pontificii jacturam fecere in obitu Regis Poloniae: At vos Lutherani, inquit Jesuita, morte Principis Anhaltini, Joachimi Ernesti, multò majorem. Et verè, verè magnam morte tanti Herois fecerunt jacturam Lutherani. Orthodoxam ille religionem magno

studio & conatu, non absque periculo, propagavit, & in cæteris spartam
 suam, quam nactus erat, ornavit egregiè. Illustre loci hujus Athenæum
 fundavit: Arcem Dessaviensem extruxit: Bernæburgensem amplificavit:
 Pontem sublicium supra Albim ædificavit, sed extruxit, eheu! abiit, propa-
 gavit, fuit; post se tamen reliquit fortem & animosum filium, R U-
 D O L P H U M, beatissimi nostri Principis Genitorem & parentem,
 principem in Deum pium, in subditos Clementem, in egenos liberalem,
 in miseros gratiosum: prætereà in consiliis prudentem, in adversis feren-
 dis fortem, in periculis magnanimum, in ira mansuetum, in suum cuique
 distribuendo justum: Adhæc in Templo religiosum, in precibus ad DE-
 um fundendis devotum, in aula temperantem, in publicis rebus provi-
 dum, in privatis & domo sua ita compositum, ut, quicquid egerit, ab om-
 nibus perspici potuerit. Tales parentes, avos, & Majores cum habue-
 rit SERENISSIMUS NOSTER, in linea paterna; Nec minores
 & deteriores in Materna etiam. Neminem enim adesse arbitror, cui
 non in recenti adhuc memoria sit piè defuncti nostri ILLUSTRIS-
 SIMA ac CELSISSIMA MATER, DOMINA MAGDA-
 LENA, Princeps Anhaltina, Comes Oldenburgica & Delmenhorsta-
 na, nata etiam ex antiquissima, omnemq; linguam & laudem superante,
 Domo Oldenburgica; Quam piissimè defunctam, si comitari quoque ad
 canos usque majores vellem, si familias enarrare, si res fortiter & præcla-
 re gestas recensere, molem mihi haud dubiè imponerem, cui ferendæ
 hautquaquam essem, & immensus fortassè exhauriendus foret Oceanus,
 præprimis cum ex famigeratissima hac, & orbi notissima Domo PO-
 TENTISSIMI DANIÆ REGES, & SERENISSIMI
 HOLSATIÆ DUCES descendant, inclyta quoque DOMUS
 SCHWARZBURGICA, qua ex vel Imperatoria fulgentes Maje-
 state, aliiq; Proceres mundi & Magnates electi, aliæque principum Co-
 mitumque familiæ Illustres, affinitate & sanguine inter se junctæ mutuò
 originem ducant, quæ omnia, & infinita hoc genus alia, hesterna publica-
 que è suggestu recitatio, nostræ adhuc hodiè ingerit memoriæ. Talibus,
 inquam, ex feminibus cum surrexerit & exierit, BEATISSIMUS
 NOSTER, saluberrimas simul & utilissimas cum eo fruges allatas ef-
 fe terris hisce quis non credat? Ita scilicet verum est illud Poëtæ: Fortes
 creantur fortibus & bonis. TIBI, BEATISSIME PRINCEPS,
 si laudem à magno Parente mutuari velimus, divinus es: Si ab avo, incom-
 parabilis: Si ab Ipsomet vincis ætatem: si à fama, optandus es, & deside-
 randus. Virtutes in aliis laudamus: In hoc pietatem, prudentiam in isto:
 Fortitudinem in illo: in alio, alias: In T E, non una, non item altera; sed
 omnes virtutum rivuli, tanquam in os maris influunt, in pelagi sinu con-
 currunt. Existimat tota sapientum Natio, in principe togato quatuor
 potissimum res inesse oportere, pietatem, justitiam, prudentiam, tempe-
 rantiam, In quo eluxerunt unquam clarius, quam in JOHANNÈ
 nostro? Ecquis Princeps unquam extitit cum Nostro pietate comparan-
 dus? Ecce enim! Quamprimum in hoc natale solum, in terram suam ex
 Belgio, Frisia, cæterisque oris exteris, queis fato an infortunio? annos be-
 nè multos transfegerat, intravit iterum: Quamprimum à summo Principe,
 Deo, ad Reipublicæ admotus gubernacula est, quid cogitavit primò, quid
 aggressus est secundò, quid perfecit ultimo? quam ut verus DEI cultus, à
 JOACHIMO ERNESTO, AVO, sanctissimè observatus:

quam

quam ut Religio Orthodoxa à GEORGIO acerrimè defensa: quam ut FIDES ANHALTINA, eaque antiqua & vera à WOLFFGANGO, in publicis Comitibus Confessionis sigillo confirmata, per MEGALANDRUM LUTHERUM, à mortifera Idolomania papistica lepra feliciter repurgata, non parum tamen depressa, erigetur, derelicta resumeretur, malè culta coleretur, ac indies magis magisque succresceret, & quaqua versum propagaretur? Ecquid prius, ecquid antiquius, obsecro, fuit, beatissimo JOHANNI, quam in orthodoxa religione propaganda, in vero Dei cultu exercendo, affectum pietatis suæ universo terrarum orbi facere contestatum, eoque non minorem Ecclesiae, quam vitæ curam, omnem per ætatem agere? Quam paterni Nominis & originis meminisse TE æquum esse duxisti, PISSIME PRINCEPS? Sacerdotem ignis Ascenas signat: Num ad TE curam & propagationem veræ religionis, cultusque divini ab Ascane acceptorum statuisti pertinuisse? Verè verè TU Noster fuisti Esch-Cohen, sacri sacerdos ignis, ignis divini custos, cultus divini Antistes. Verè verè assertor fuisti & vindex severus fidei antiquæ, Conservator ignis sacri, qui urit in conscientias improbos, comburit paleas, & devorat stipulas. Optimè TECUM in animo voluisti ac revoluisti, beatam subditorum vitam esse neutiquam posse, nisi ad religionem animi imbuantur, ad pietatem corda excolantur: Optimè TECUM voluisti ac revoluisti, Religioni tanquam fulcro inniti imperia & provincias, eaque diligentius Urbem, quam mœnibus cingi: Nec tam calliditate aut robore, quam pietate gentes nationesque superari. Prodeat modò antiquitas, & veram salutis Rerum-publicarum causam indicet, quid nisi pietatem indicaverit? Prodeat & veram dicat interitus causam earundem, quid præter impietatem & neglectum religionis studium dixerit? Unde mirum haut fuit, quod extiterit in defuncto Principe Nostro pietas sine fuco purissima, sine falso verissima, sine comparatione maxima, talisque, qualis vel in sacerdote summam mereatur laudem, & quæ nec imbres metuit in auscultatione sacrorum dogmatum devota, nec grandines timuit in precibus, certo consuetoque tempore ad DEUM seriò fundendis, nec lapides & fulmina in sacro synaxeos usu, ad quam profundissima accedebat submissione, verita unquam est. Et si verum putatur illud Cæsaris Augusti verbum, pietate & justitia principes fieri Deos; Ausim absque fuco, absque adulatione asseverare, pietate principem nostrum JOHANNEM factum esse DEUM. Ita in omnibus undique primas tenebat pietas: In aula: quæ pietatis & omnium tantum non virtutum optimè constituta erat schola: In interioribus aulae penetralibus, quæ templi cujusdam sanctitatem præ se tulisse juraveris: In vita tota, qua in una pietas, quasi sol quidam resplendebat: Adedò nihil petulantia licebat, nihil luxui concedebatur, nihil levitati permissum erat. Sed & stipata undique hæc, veluti Regina, pietas famulatio & satellitio incedit. Nam Virtutes pietas in sese continet omnes.

Quo ex famulatio, veluti sponsa ex thalamo prodit, Sol ille Imperiorum, plus quam cœlestis, justitia, omnes Orbis perreptans angulos, nec sceleris quicquam ab illo tutum, nihil illi absconditum: Hac veluti purpura indutus Princeps noster justissimus, quanta prudentia excutiebat & perquirebat omnia? qua diligentia providebat, ut jus suum cuique tribueretur, læderetur nemo? Qua vigilantia judices & magistratus constituabat? Atque ut Princeps sanctus erat, & absque superstitione sincerè sanctus: Ut pius

erat, & absq; hypocrisi ac simulatione verè pius: Ut sapiens erat, & absq; versutia doloque candidè sapiens: parili modo justus Princeps erat, & absq; Tyrannide paternè justus. Melle namq; Clementiæ rigorem justitiæ ac severitatem temperaverat mirificè, nec iracundia flagrans delatus properanter ad stylum funestum & decretorium est, fecitque, cujus die craftini pœnitere potuerit eum, uti in Alexandro Macedone, post interemptum familiarem Clytum tanta pœnitendi vis traditur fuisse; sed omnia tentando prius, quod optimum esse videbat, elegit, semperque *ἦν ἐν νυκτὶ βελήν*, ut Græci loquebantur, de nocte consilium, ei, quod DE DIE erat, prætulit: Uno verbo, talem se civibus & subditis principem, præbuit, qualem voluisset Ipse, si subditus fuisset; Quin imò talem se civibus suis esse debere intellexit, qualem sibi DEUM velit. Hinc civium amore ita comparato, hinc subditorum favore ita acquisito, non opus fuit altissimas adscendere turres, ex iisq; concionari ad populum, ceu Dionysium Tyrannum oportuit facere; Multo autem minus editas in altum arces instruere, aut arduos colles in ascensum emunire, montium latera abscindere, urbibus speculas altissimas, & propugnacula imponere, portisque catarrhactas obdere; sed potuisset **ÆQUISSIMUS PRINCEPS**, cum Eberharto Württembergiæ Duce in cujusvis subditorum suorum gremio tutò & placidè, modò voluisset, dormire, quod ille pretiosissimum æstimabat Ducatus sui cimelium: potuisset cum altero illo Württembergiæ Comite Ulrico, cum quovis suorum subditorum, sive domi, sive ruri, tutò & hilarè absque ullo pèriculi metu, modò placuisset, cibum capere. Ita majori, quam uxores & liberos, amore, ad Ægyptiorum consuetudinem, aliquot Reges suos, quod justii fuissent, hoc modo amantium, & suum Principem justissimum, juxtaq; æquisimum complectebatur plebs subdita, Quod si volupe cui esset, admovere se propius aulæ, DEUM immortalem! quot frugalitatis gazas, quot temperantiæ thesauros, à beatissimo Principe collectos, inveniret? Alienissimæ hic erant voluptates, quibus redundare plerumque solent principum aulæ: Hæc enervantem corporis robur, pedesque debilitantem ebrietatem, odio plus quam canino detestabatur: Hæc spoliantes oculos & cameras conviviorum luxus averfabatur: Hæc petulantem libidinem abhorrebat: Hæc immoderatam licentiam expellebat: animos contra castissimos recipiebat: Oculos pudicissimos amabat: Ventrem benè moratum desiderabat. Quis aulæ hujus patronum, quis Dominum ea propter temperantem non dixisset? Frugalis erat Augustus, non amplius ter super cœnam bibere solitus: Frugalis audit Imperator Carolus V. vel sola bubulà contentus: Frugalis Fridericus IV. conjugii Leonoræ Lusitanæ sæpè iratus, quod liberis condimenta pro lacte præberet: Frugalis Carolus M. quaternis semper ferculis, ferinâ tamen, qua delectabatur magnoperè, excepta, cœnam absolvens. Frugalis etiam **NOSTER JOHANNES** modico cibo potuque usus: Qui cum res suas præterea, actiones, consilia, negotia omnia, circumspectè, cautè ac prudenter instituit: Cum actiones semper consiliis posteriores habuit, & non nisi deliberato animo, maturoque judicio operi sese perficiendo accinxit, quis non prudentem & circumspectum principem exindè arguat? Quicquid cogitavit, dixit, decrevit, non cœco quodam raptu, aut furibundo impetu perfecit, sed sano prius consilio pervolvit, æquisimo mentis libramine, accurataq; judicii ascia levigavit & polivit, ut non nisi prudentiæ quoddam oraculum & miraculum divi-

S(O)S

divinari potuerit. Insuper & cogitationes plenæ erant consilii, dicta plena sapientiæ, facta plena autoritatis. Reliquarum farraginem virtutum, quæ omnes in piè defuncto PRINCIPLE NOSTRO, velut inter ignes

---- Luna minores

emicuerunt; vel quibus omnes potius, -- Præstrinxit ut ætherius Sol, de industria taceo, & Sulpitiæ, doctissimæ poëtriæ verbo CONSTAN-
TER OMITTO: Illæ namque suis describendæ coloribus, & velut in ta-
bula ostendendæ excitiora & feliciora provocant ingenia. De quibus quippè & similibus si pro dignitate dicere animus sit, necesse sit

---- Centum mihi poscere voces,

Centum ora, & linguas optare in talia centum, prætereaq; spacium tem-
poris satis laxum, quo agmen earum possim adducere. Siquidem quò
plura fortasse dicerentur, plura semper restarent dicenda. Et si ingredi
auderem contubernium earum, quasi Gynæcèum quoddam, & salutare
inciperem MANSVETUDINEM, quæ in eo, ceu gemma quædam efful-
sit, dicam facilè scriberet mihi HUMANITAS, quasi præterita & illusa,
quod semper principi suo à latere fuerit, sibiq; primus ea propter debeat
HONOS. Si animus esset assurgere FIDEI, qua nemo deceptus unquam
est, cui quidem data semel: aut compellare AMICITIAM, quam singulari in-
ter sui similes delegit iudicio, constanter retinuit, pereñiter servavit; In jus
me statim vocarent COMITAS & AFFABILITAS, & nescio quam injuriarum
maculam mihi affricarent, quod inter Triarios stare easdem fecerim, pri-
ma cæteroqui locandas acie, ceu primas de Honore Nymphas, quod ad in-
tima & arcana non tantum, sed ad quæcunq; etiam conversationis nego-
tia admittæ statim fuerint. Si adorarem virtutum omnium maximã, PATI-
ENTIAM, quæ verè christiana & quasi magnanima, incredibili vultus ani-
miq; constantia, maximos sæpè, excepit dolores & toleravit; (Nec enim pu-
tandum, ab omni talium symptomatum, corpus mentemq; urentiũ, plus
quam hostili insultu, immunem ac liberum prorsò esse principem: Eccui,
quæso, honos absq; ejusmodi onere contigit?) Classicum statim caneret, &
copias suas contra me armaret FORTITUDO, quæ non quidè Tartaros, Cos-
sacos & Turcas; quos etiam non timuisset, si iusta pugnandi causa & occasio
adfuisset, sed hostes sæpè domesticos, eosq; acerrimos cecidit, domuit, pro-
fligavit, & ob hæc victorias, ob hos triumphos præmium Honoris primi
sibi poscit. Adeò urgentissimus virtutum numerus est, ut nemo ingerere se
sine periculo, sine læsione possit ei. Adeò scilicet complexa suo ambitu, suo
affatu PRINCIPEM NOSTRUM est hæc societas, ut in eo uno confluisse quasi
fuerint visæ omnes: Nihilq; nunc magis nos vexat, nos angit, quam quod
tanti jacturam principis, cumq; eo tot ornamentorum, tot beneficiorum,
fecimus, & præter nudam omnium bonorum memoriam nihil nobis re-
lictum amplius fuerit. Quid faciamus miseri in hisce rerum omniũ angu-
stis? jugo poenarum cervices submittamus, & iniquitatis nostræ stipendi-
um agnoscamus hoc, quicquid impositum oneris est: Consolemur autem
luctum hunc nostrum & jacturam, consideratione mortalitatis ejus, quem
mortalem ante hos ipsos sex & quadraginta annos cœli nobis concesserat
benignitas. Consolemur dolorem nostrum, intuitu felicitatis æternæ,
quam PRINCEPS NOSTER, tot ingentibus meritis candidatus, est ingressus,
cujus consiliis ac laboribus, temporariam hîc felicitatem, aliquam conse-
cuti fueramus: imo consolemur mœrorem nostrum ad spectu SOBOLIS
ILLUSTRISSIMÆ, ex supremi favore Numinis adhuc supersti-
tis, qua florente (conceptis autem Votis DEO supplicamus, ut floreat in
seram

seram usque senectutis canitiem) quaque per **AUGUSTISSIMAM MATREM**, Serenissimam Principem nostram, justè ac piè imperante, firmum ac inconcussum sibi promittit stabilimentum Respublica, subjecti sperant foveri, lapsi exoptant erigi, erecti gaudent conservari. Væ populis, verba sunt Dithmari, Martisburgensium Episcopi, quibus regnandi spes in subsecutura Dominorum prole non relinquitur; Benè nobis ex adverso erit, qui ineffabili ista spe neutiquam excludimur. Benè nobis erit, qui imperio **SERENISSIMÆ TUTRICIS**, justitiam & pietatem cum pace inde usque à primis annis edoctæ, laudabiliter regimur. Exclamare cum poëta licebit:

Mira cano, Sol occubuit, Nox nulla secuta est.

Dicere ad extremum juvabit: ô Anhaltini, ô Servestani! Vivit **JOHANNES** Princeps, & vivit in beatissimo animorum concilio cœtuque: justum erit, pium erit, Illius memoriam affectu & desiderio, quam commiseratione prosequi. Instillemus inter dolorum incendia hanc veluti frigidam: **VALE JOHANNES** Virtutibus omnibus **PRINCEPS MAXIME**, & in illa tua felicitate, salute, immortalitate, æternum gaude. **VIVITE,**

**CAROLE VVILHELME,
ANTHONI GUNTHERE,
JOHANNES ADOLPHE, &
JOHANNES LUDOVICE,**

Principes, & Anhaltinis & Frisiis vestris diu, feliciter, gloriosè vivite:
REGE

SOPHIA AUGUSTA,

cum Serenissimis Dnn. Contutoribus, & ut soles, piè, prudenter, generosè, rege.

D I X I.



X^o 45^o 31
4^o

ULB Halle 3
004 193 61X



56

V077

m. c.





LACRUMÆ

SUPER

Præmature & luctuoso admodum; Satis t
abitu & obitu

SERENISSIMI PR

AC DOMINI

DN. JOHA

PRINCIPIS ANHA

MITIS ASCANIÆ, DYNA

TÆ ET BERNÆBURGI, DOMINI

Et Kniphausen

DN. QUONDAM NOST

CLEMENTISSI

Profundi coeptæ

IV. ABHINC NONAS Q

ANNI HUIUS

M DC LX

CUM SANCTISSIMAM ANIMAM RE

mendans terrena omnia sperner
anhelaret

PRINCEPS PIIS

continuatæ post

CALENDIS NOVEMBERIBUS,

CTORUM DIE PUBLICA

præsentibus

ILLUSTRISSIMIS FILIIS

Aliisq; HONORATI

VIRIS

à

JOHANNE Langenst

AD D. BARTHOL.

SERVEST

Typis JOACHIMI

1668.



67

